

Aliorum sententiæ & aphorismi.



Quando Saturnus & Mars fuerint in signo communi mater edet uno partu duos masculos aut tres, uel duos masculos, & unam foemellam.

Quando Luna, Venus et Mercurius fuerint in bicorporeis signis foemininis, mater pariet tres foemellas, uel duas foemellas, & unum masculum.

Si Sol, Luna & ascendens, ac ipsorum domini in signis bicorporeis extiterint, aut eorum maior pars, habebit gemellos fratres uno partu,

Dominus signi partis filiorum in signo duplici, si in quinta sit signum duplex & Luna in duplici signo. si Lunam & Mercurium aliqua radiatione respexerint, uel cum ea fuerint, gemini nascentur.

Luna in signo duplici, & Sol in aliquo cardine, si secundum à Luna possederit signum, aut duplex cum Ioue positus, aut cū Mercurio fuerit, gemini nascentur.

Luna in domibus Iouis uel Mercurij, & ipsorum alter in ascendente uel septima domo, gemini nascentur.

Si sit Luna cum Mercurio aut Ioue, & Sol sibi aliam applicet stellam, si sese duplicibus ex signis uiderint, uel si ascendens sit signum duplex cum aliquo planeta, gemini nascentur infantes.

Iuppiter & Mercurius in prima in signo duplici, Luna in quouis cardine, si Sol iungatur alicui stellæ in eo signo in quo fuerit, aut duabus in genituris, semper gemini, aut una tantummodo nascentur, dummodo maleuolarum aliqua ex loco superiore non aspiciat. Quòd si altera infortunantium ex medio cœli aspiciat, prior conceptus in partu morietur, aut non perficietur eius nutritio. Si autem Luna in cardine non fuerit, nec in signo duplici, Iupiter uero & Mercurius in duplici in prima domo, & Luna cum aliqua stella iungatur aut Sol, gemini nascentur infantes.

De monstris.



Quando duo luminaria ab angulis cadunt, & non habuerint conuenientiam cum loco ascendente, & infortunæ fuerint in angulis, talis qui nascitur erit uilis, pauper, exilis, & staturæ permutatæ.

Quando gubernator coniunctionis uel oppositionis præcedentis natiuitatem, & gubernatores locorum luminarium natiuitatis, & locos Lunæ ac ascendente natiuitatis, uel maiorū pars eorū nō aspexerint locum coniunctionis uel oppositionis natiuitatem præcedentis, & cum hoc sint infortunæ potentes in angulis, & ambo luminaria ab ascendente cadentia, uel ipsum non aspicientes, natus erit facturæ permutatæ. Hæc autem si sic fuerint, & luminaria in signis quadrupedum uel ferarum inuenta fuerint, & infortunæ in angulis, natus non erit ex hominibus, maxime si fortunæ cum luminariis non habuerint testimonium ex aspectu. Sed si eis infortunæ testificatæ fuerint, natus non erit domesticus, sed erit de natura & effigie illius animalis, in cuius signo luminaria fuerint. Vt in signo Piscium, nascetur forma piscis. Iupiter autem cum Venere, si luminariis testificantur, erit natus similis animalibus domesticis, ut sunt canes, & his similia.

Mercurius si illis testificatus fuerit, erit natus similis animalibus, quibus homines utuntur: Gallinis, Bobus, Porcis &c. Si autem fuerint luminaria in signis humanis cæteris omnibus, ut prius dispositis, natum similem hominibus, uel ex ijs animalibus, quæ cum hominibus uersantur, forma tamen inulitata futurum significant.

N 3 Si fue-